6.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI


CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XI.

Literę Apoſtolicæ in formâ Brevis ad Proregem Regni Siciliæ

Datæ diebus XXII. *Octobris MDCCXII.*
ac XXIII. *&* XXX. *Septembris*
MDCCXIII.


ROMÆ, MDCCXIII.
Ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ.



Dilecto filio Nobili Viro moderno Marchioni de los Balbazes Proregi Siciliæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte fili Nobilis Vir salutem, & Apostolicam benedictionem.



Uando ex iis, quæ superioribus mensibus Nobilitati Tuæ perscribenda existimavimus, spem haud levem animo conceperamus fore ut illata Ecclesiæ à sæculari istius Regni potestate quamplura, eaque gravissima detrimenta congruâ reparatione sarcirentur, non modò præterita non corrigi, sed antiquis vulneribus nova cumulari vulnera magno planè, intimoque cum paterni cordis nostri dolore

intelligimus. Certis etenim teſtimoniis inter cætera nuper allatum ad Nos fuit tuo quidem nomine, ſed iis ipſis, ut opinamur, inſtigantibus, qui Eccleſiaſticam libertatem iſthic perturbandam, & Sacros Altaris Miniſtros exagitandos temerè ſuſceperunt, Venerabilibus fratribus Epiſcopis Cataniensi, Mazarienſi, & Agrigentino mandatum fuiſſe, ut infra terminum octo dierum Edictum abrogent ab ipſis juſſu Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Immunitati Eccleſiaſticæ, & controverſiis juriſdictionalibus præpoſitæ promulgatum, quo univerſis Chriſti-fidelibus ſignificatur abſolutiones ab Eccleſiaſticis Cenſuris, quibus ab Ordinariis locorum innodati declarantur violantes, & quoquomodo lædentes Eccleſiaſticam Immunitatem, à quovis, præterquam à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, vel ab eadem Congregatione ad id ab hac Sancta Sede ſpecia-

cialiter delegata concessas, nullas prorsùs, ac irritas esse ex defectu jurisdictionis, adeòque nemini suffragari: denunciatâ minacibus verbis ipsis Episcopis, quatenùs non obtemperent, temporalium bonorum occupatione, aliorumque etiam gravioram malorum iniecto metu. Quantum porrò novis ejusmodi attentatis Ecclesiastica libertas, ac immunitas violetur: quàm gravis iniuria nedum Sacris Antistitibus, verùm etiam Apostolicæ Sedi, à qua per ministerium prædictæ Cardinalium Congregationis memorata definitio prodiit, infligatur: quantum insuper ea ipsa minacia mandata adversentur filiali illi studio, ac devotioni, qua Ipse eamdem Sedem amantissimam Matrem tuam colere aliàs professus fuisti: quantum denique offensionis, & scandali attulerint bonis omnibus, quos plurimos in isto Regno esse novimus; non est, cur Tibi fusiùs, atque subtiliùs explicemus, cum ea pro spectatâ
pru-

prudentiâ tuâ intelligere, ac agnoſcere, abundè poſſis. Cum igitur hæc omnia ſine Paſtoralis muneris noſtri detrimento, animæque etiam noſtræ periculo diſſimulare minimè valeamus, Nobilitatem Tuam rursùs vehementer hortamur, admonemus, atque etiam in Domino obteſtamur, ut præmiſſa tum vetera, tum recentia attentata ſedulò corrigi, ac emendari cures quamprimùm: prædictis tribus Epiſcopis non alterius criminis reis, niſi quod munere ſuo ſtrenuè functi ſunt, ullam omninò moleſtiam inferri nequaquam ſinas: aliis, qui mandata noſtra hac in re exequi hactenùs diſtulerunt, nullum, quominùs illa incunctanter exequantur, obiici impedimentum, & quæ fortè obiecta fuerint, removeri mandes: ac demùm ita Te geras, ut omnes intelligant Te eo eſſe in Sacroſanctam Dei Eccleſiam animo, ut ejus Jura tueri, & ſarta tecta ſervare intendas, non convellere, aut imminuere. Id autem nunquam

quam efficies, si mundanæ tantùm prudentiæ (quæ apud Deum stultitia est) homines, quique suæ potiùs fortunæ, privatæque utilitatis, quàm decoris,& conscientiæ tuæ rationem habere dignoscuntur, audias, eorumque consiliis morem geras. Itaque quod Ecclesia ipsa, quod æquitas, quod religio, quod animæ tuæ salus, quæ certo aliàs in discrimine versaretur, omninò postulant; quod Nos etiam paternà Tibi charitate suggerimus,alacri animo exequere, Dilecte fili, Nobilis Vir: Ecclesiasticâ authoritate, ac libertate in pristinum restitutâ, sacrisque Ministris ab injuriâ vindicatis, supernam Dei opem, ac patrocinium commissis Tibi populis, magnam Nobis, & Consacerdotibus nostris gaudii materiam, ingentem denique nomini tuo pietatis,& justitiæ laudem comparaturus. Et Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo

nulo

nulo Piſcatoris die vigeſimâ ſecundâ Octobris MDCCXII. Pontificatus noſtri anno XII.

Joannes Chriſtophorus Battellus.

CLEMENS PAPA XI.

DIlecte fili Nobilis Vir. Longum jam temporis spatium præteriisse cernimus, ex quo summâ cum animi nostri amaritudine, quemadmodùm satis omnibus constat, nonnisi permolesta, & tristia ex isto Regno ad Nos afferuntur, ob plurima, ac sanè gravissima, quæ illic sive à seculari potestate, sive illius nomine, atque præsidio in maximum Pontificiæ authoritatis detrimentum, ac omnimodam Ecclesiasticæ libertatis eversionem admissa fuerunt, adeòut jam facti propemodùm videamur opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Fatemur quidem (quod utinam divinam in Nos dexteram aliquandò non armet) tot, tantaque Ecclesiæ inflicta vulnera hactenùs Nos lentâ nimis, ac sanè mi-

tiori, quàm par erat, manu tractasse; non tamen, ut Nobilitati Tuæ compertum est, desides omninò fuimus, nec acerbis adeò, frequentibusque injuriis lacessiti penitùs obmutuimus; sed pro nostrâ non minùs ergà æternam, quæ magnæ Nobis curæ est, ac esse debet, salutem tuam, quàm erga inclytum istud Regnum, illiusque populos, quos intimè diligimus, paternâ charitate, iis Te, nec sanè semel, excitare, ac urgere monitis non prætermisimus, quæ ad avertendam à Te, eodemque Regno cœlestis iræ animadversionem conducibilia, ac planè necessaria fore existimavimus. Cum autem nihil hucusque profecerimus, quin etiam omnia, quæ Ecclesiæ, quæ nostra, imò verius, quæ Dei sunt, deteriore isthic in dies loco esse ex certis nimiùm ad Nos allatis documentis deprehenderimus; ac interim eò inter cętera prolapsus sis, ut postquam tuo nomine, tuâque authoritate Edictum quoddam Pontificiæ nostræ jurisdi-

dictionis, & potestatis summoperè læsivum in pluribus istius Regni Civitatibus, & Locis, præsertim verò Cataniæ, ac Messanæ promulgatum fuerat, primùm quidem mense Aprili proximè præterito Venerabilem Fratrem Andream Episcopum Cataniensem nedum à Civitate, ac Diœcesi Cataniensi, sed & à toto Siciliæ Regno discedere compuleris; ac subindè, nimirùm mense Julio nuper elapso, quando scilicet maximè sperandum erat, ut prioris detestabilis facinoris pœnitentiâ ductus, ac pudore suffusus, illud congruâ emendatione corrigere, conscientiæque tuæ consulere non differres, delicta delictis cumulans, non absimili, & fortè magis etiam violento adhibito medio, Venerabilem itidem Fratrem Archiepiscopum Messanensem ab ejusdem Regni finibus ejicere non formidaveris: non aliâ profectò de causâ, nisi quod ambo præfati Antistites incumbentis sibi Pastoralis officii debitum fideli-

ter impleverint, noſtriſque, ac hujus ſanctæ Sedis mandatis, ut par erat, obtemperaverint; Et quod præmiſſorum à te geſtorum atrocitatem auget, ac Nos ſine horrore meminiſſe non poſſumus, non erubueris ambobus, in ipſo violentæ eorum ejectionis actu, exhiberi facere epiſtolam proprio tuo charactere ſubſcriptam, qua non minùs cum inſigni Epiſcopalis dignitatis injuriâ, quàm cum ingenti, ac publico Chriſtifidelium, quibus hæc innotuerunt, ſcandalo, utrique eorum, ut ſine morâ non modò è ſuis Catanien., ac Meſſanen. Civitatibus, ac Diœceſibus reſpectivè, verùm etiam è toto dicto Regno exire deberent, impudenter non minùs, quàm minaciter præcipiebatur. Hinc eſt, quod Nos omni prorsùs ſpe dejecti, diuturniorem longanimitatem noſtram quidquam in poſterùm profuturam eſſe, ſimulque tùm ex memoratis literis tuis, tum etiam ex aliis, quæ in Proceſſu, ut vocant, ſpeciali juſſu noſtro

deſu-

desuper confecto habentur, liquidis probationibus agnoscentes Te inter alia sacrilegæ, ac violentæ expulsionis præfatorum Archiepiscopi Messanensis, & Episcopi Cataniensis reum esse, adeòque apertè perspicientes qualem propterea animæ tuæ labem asperseris, quippequi censuras omnes, & pœnas Ecclesiasticas contra talia perpetrantes à Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cęnæ Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis inflictas manifestè incurristi: seriò, ac paternè Te requirimus, & monemus, necnon Apostolicâ authoritate Tibi mandamus, quatenùs ad cor reversus, intra trium mensium spatium docere omninò debeas Te antedictos Præsules congruis, ac planè debitis eorum dignitati honoris, & reverentiæ significationibus ad suas Sedes revocasse, ut ibidem residentes, pristinâ, ac integrâ ju-

risdictione, & libertate, ut par est, fruantur: Alia insuper omnia, quæ isthic adversus Ecclesiasticam Immunitatem, ac Jurisdictionem Pontificiam tuo nomine, tuove jussu; vel assensu, seù authoritate quovis modo acta, edita, promulgata, seu gesta fuerunt, penitùs aboleas, revoces, ac rescindas; ut ità cunctis iis, quæ perperam egisti, debitâ emendatione correctis, consequi tandem merearis à Censuris, & pœnis hujusmodi absolutionem, cujus beneficium, quatenùs illud; post debitam, ac condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem, humiliter petieris, nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente Tibi impendi posse omninò scias. Hæc si impleveris, conscientiæ tuæ opportunè consules; si minus feceris, ultrà quod divinæ justitiæ ultionem non effugies, Nos etiam ad ulteriora, quibuscumque non obstantibus, ex Canonicarum sanctionum normâ procedemus, Teque à Sanctæ Matris

tris Ecclesiæ gremio, & communione exclusum esse absque aliâ citatione palàm declarabimus. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimâ tertiâ Septẽbris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno XIII.

Joannes Christophorus Battellus.

CLEMENS PAPA XI.

DIlecte Fili Nobilis Vir. Ingenti profectò tangimur dolore cordis intrinſecus, novoque, ac ſummo horrore perfundimur, dum à Venerabili Fratre Franciſco Archiepiſcopo Epiſcopo Agrigentino, qui hac ipsâ die ad hanc Almam Urbem pervenit, ſtupentes audimus, eum non à Ciuitate tantùm, ac Diœceſi Agrigentinâ, ſed & à toto Siciliæ Regno non ita pridem abire Nobilitatis Tuæ juſſu compulſum fuiſſe, propterea quod Immunitatem Eccleſiaſticam Sacerdotali illic conſtantiâ, quemadmodùm tenebatur, aſſerere non dubitaverit, & nonnulla mandata noſtra eò pertinentia diligentèr, ac ſtrenuè executus fuerit. Hæc ſanè Tu iniquo animo ferens, ac reverentiæ Epiſcopali Ordini debitæ prorsùs oblitus, ſicuti paulò ante Venera-

bilcs

biles itidem Fratres Archiepiſcopum Meſſanenſem,& Epiſcopum Catanienſem eamdem ob cauſam ab iſto Regno per inſignem injuriam, manifeſtamque vim ejeceras, ita de præfato etiam Archiepiſcopo Epiſcopo Agrigentino,ut abyſſus abyſſum invocat, ſtatuere veritus non fuiſti, ſcriptiſque minacibus literis, quibus illi, ut infra viginti quatuor horarum ſpatium ab Agrigentinâ Civitate, ac infra biduum à toto dicto Regno diſcederet, temerè præceperas, necnon miſſo illuc Officiali cum validâ armatorum Militum manu, qui & præfatas tuas literas ipſi redderet, & invitum ad obtemperandum vi cogeret, ſuſceptum nefarium conſilium tandem perfeciſti, non ſine maximo Chriſtifidelium ſcandalo, ac Populi præſertim Agrigentini, qui innocentis, ac intimè dilecti Paſtoris expulſionem moleſtiſſimè tulit, publiciſq; lacrymis proſecutus fuit: ipſo interim Paſtore gaudente, quoniam dignus habitus

eſſet

esset, si non pro Nomine Jesu, certè pro Ecclesiâ, quam acquisivit Jesus Sanguine suo, contumeliam pati. Nuperrimo hoc tam atroci facinore nostrum ad judiciũ delato, certisque documentis comprobato; deberemus profectò, canonicæ severitatis arrepto gladio, ea in Te incunctanter exequi, quæ à sacris Sanctionibus aduersùs talia attentantes providè constituta sunt; diuturniori nihilominus longanimitate expectandum rati, ut ad cor redeas, perperàm gesta corrigas, ac ea demùm omnia præstes, & impleas, quæ non minùs de Ecclesiasticæ Immunitatis tutelâ, quàm de gravi animæ tuæ periculo soliciti, aliis Nostris die 23. labentis mensis Septembris in simili formâ Brevis ad Te datis literis pro paternâ Nostrâ charitate Tibi denuncianda existimavimus, Te iterùm requirimus, monemus, ac obtestamur, necnon traditâ Nobis à Domino potestate Tibi mandamus, quatenùs infra terminum in eisdem

nu-

uperis Nostris literis constitutum docere mninò debeas, Te memoratos tres Antiites ad suas Sedes, quibus par est, honos, ac reverentiæ significationibus revoasse, eisque permisisse, ut in suâ quisque Diœcesi resideant, necnon pristinâ jurisditione, & libertate potiantur, ac reliqua andem cuncta re ipsá perficias, & exequais, quæ Tibi in antedictis literis nostris inunximus. Hæc si non feceris, scito Nos, lapso termino; quemadmodùm in aliis præfatis literis edíximus, ex Canonicarum sanctionum præscripto ad ulteriora omninò processuros, Teque à Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio, & communione exclusum absque aliâ citatione palàm declaraturos esse, quibuscumque non obstantibus. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesimâ Septembris MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno XIII.

Joannes Christophorus Battellus.

